

# DISPVATIO.

## QVÆSTIO PHYSICA.

V. Cometa sit stella, an *μετέωρον*?

### POSITIO PRIMÆ.



Cometa est exhalatio terrestris, calida & sicca, grossa, pinguis & viscosa, cuius partes multum ad inuicem circumiacent, uirtute corporum coelestium sursum lata, usq; ad supremam aeris regionem, ubi propter ignis uicinitatem, & materiae habitatem, inflammatur, ferturq; circulariter, ad motum supremæ regionis, quæ motu uiolento circumfertur.

### POSITIO SECUNDÆ.

Cometarum duas esse species. Crinitam & Barbatam, cum Aristotele asserimus.

### CONCLUSIO.

Ex magnitudine, lumine, motu, loco, augmentatione, & consumptione Physicus colligit cometam *μετέωρον*, non stellam, i. de materia elementari esse, non coelesti.

### Quæstio Dialectica.

V. Logica sit scientia practica uel speculatiua.

### POSITIO PRIMÆ.

Logicam hic dicimus specialiter eam partem Logices, quæ docet probabiliter et topice arguere, quæ a *διαλέγομαι* dicitur Ars disputatiua, ut inquit Plato: Logica disputandi magistra.

### POSITIO SECUNDÆ.

Scientia est noticia per demonstrationem acquisita, uel, est habitus demonstratiuus, secundum Aristotelem. lib. 6. Ethicorum.

### POSITIO TERTIÆ.

Practica scientia est scientia directiua praxis, ostendens quomodo sit operabilis a nobis. Speculatiua scientia est, quæ non est directiua praxis.

### CONCLUSIO.

Respondetur recte ad quæstionem, Quod Logica sit scientia practica.

### Quæstio Mathematica.

V. Punctum sit Quantum.

### POSITIO PRIMÆ.

Punctum est, cuius pars non est.

### POSITIO SECUNDÆ.

Punctum non est obnoxium tribus dimensionibus secundum longum, latum, & profundum.

### CONCLUSIO.

Punctum non est Quantum, Sed Quanti utpote lineæ pars.

M. V. wolfgangus Seyttentaler.

